



QUÆSTIO MEDICA

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANÈ DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM

Die Jovis XII. Januarii 1713.

M. JOANNE-BAPTISTA THOMA MARTINENQ, Doctore Medico, Præside.

An ingenii diversitas à Sexu?

I.

UT à Barbaris differunt nostri homines, eloquio, ritu, moribus, propter diversam habitandi, vivendi, & operandi necessitatem, at in hoc conveniunt, ut homini quos dedit igniculos Deus, pares habeant utrique, ἕλληνες οἷον σοφοὶ ἄνδρες, οὐδέν γε σοφώτεροι βαρβάρων: sic à masculo differat muliercula, sexu, vestitu, specie, (qualitatibus, partibus & functionibus corporis vix etsi distinguatur apud nonnullos, unde non stupenda ejus transmutatio)

I

Quod ad ingenii naturam, nihil ab eſſentiâ illius inter utrumque diſcriminis, nullum homini proprium quâ vir, nullum fœminæ quâ mulier, at diſperſum pro ratâ, duali, par ambobus, & minimè diſtans ingenium. licentia amens, & lingua intemperans quæ extollit virum, ut deprimat mulierem; quippè quod ex iiſdem principiis á Deo conflata, quibus mas, & ad opificis ſimilitudinem facta.

II

NULLA quandoquidem pro diverſo ſexu ingenii diſtinctio, utpote quòd ſexus uterque, disjunctus, ſive connexus, hominis appellatione veniat, in viro maſculum non eſt, in muliere fœmineum, in hermaphrodito androgynæum; æquè diſperſæ ſunt qualitates in utriſque, neuter ſexus, ne vel ambiguus altero potior, neuter deterior, nec fœmina ſecundum, ſed alterum humanitatis decus, uno patre, uno die, uno partu cum viro edita. Meritò igitur, ait muliebre genus, apud mordacem Poëtam, & clames licet, & mare Cœlo confundas, homo ſum; ut injurioſè loquuntur qui differentias inducunt inter marem, & fœminam, naturæ velut accuſatores quod non totos generavit maſculos: quamvis toga non ſit ſupra ſtolam, nec typus hominis veriùs agnoſcatur in hâc, quàm in illa.

III.

VIRO ſi præcluſa virtus non eſt, quâ venerem refugiat, mediante ingenio, præter quam ſi legitima fuerit copula, & mulierem, cujus ingenium nequicquam degener, ad arcendam ὑμένος lacerationem, admittit, compreſſio per ſacra niſi

permittatur; rerum iſte gnarus exiſtere ſi poteſt, rerum peritiæ apta hæc: impetus ei generoſos ſi videant omnes quibus publica ſectatur, pares & huic ſpiritus queis privata relinquit; ſi malè prenſatur declinat, ſi imperat flectit, ſi pugnat expugnat, ſi argumentatur convincit, ſi medetur curat, ſi judicat dijudicat, ſi petit extorquet; unde fides, ſive domi, ſive militiæ, res à fœminis non ſecus geri, quàm ſi mares forent: quod non ſuccuſſant Sapientes, ſed inquietis qui præcordiis vexationem quærunt.

IV.

CONCESSA, quæſo, cur æqualitas, domeſticis parietibus addictæ mulieres pronubâ uri flammâ ſi nequeant, dominari & arma gerere, loquentes & mutas profiteri artes, Judicum & poſtulantium officio fungi? quæ pectus invidia pulſavit Deum exhonorans, qui urumque edidit hominem, dum vult alterum præſtare alteri, cujus auxilio viciſſim opus eſt! an maſculus in ſe, aut fœmina ſolùm ad nativitatis propagationem ſufficiens eſt? Utrumque eorum nonne coaptavit Divinitas, ad generationis & educationis, regiminis & imperii, doctrinæ & prudentiæ opus? A publicis officiis ſi removerunt fœminas Romani, propter Caiam Afraniam, quæ quidem effrons, an eaſdem contrariâ lege admittere prohibet lex, ut res vortat in earum dedecus, quæ ſummæ ſexus laudi vertebatur?

V.

CUPIDINEIS num aptæ triumphis quotquot ſunt fœminæ, colum & fuſum tractantne omnes, acum & penſum? Impoſitum cinerem,

& ſopitos an ſuſcitant ignes? Deſunt Lucretiæ, Hypetiæ, Tomires, Artemiſiæ, Hethæ, Theleſillæ, Aſpaſiæ, Corneliæ? Deſunt Cleopatræ, Michales, Deboræ, Conſtantiæ, Amœſiæ, Hortenſiæ? Extant contrà, & non raró, haud ignorantes omnium fœminæ, quæ ſciunt viri, & ſagientes quod prohibent illis attingere, incaſſùm ſed vetant; extant quæ linguas callent, verſus condunt, & ſolutam orationem promunt, quæ philoſophantur, Mathemathicam, Aſtrologiam, Vaticinatricem, Theologiam profitentur, quid plura? Extant quæ ſubdio inter armatos verſantur, natant, venantur.

Ergò nulla ingenii diverſitas à Sexu.

Proponebat Lutetiæ ANTONIUS LE MOINE Pariſinus, Baccalaureus Medicus die Jovis duodecimâ Januarii. A. R. S. H. 1713.

A ſextâ ad Meridiem.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Joan. Bapt. Thomas Martinenq, actus Moderator.	*M. Thomas Bernard Bertrand.*	*M. Claudius Burlet, Regis Hiſpaniarum Medicus primarius.*
M. Joan. Henricus Imbert è Regia ſcientiarum Acad.	*M. Ægidius Adam.*	*M. Alexander Petrus Mattot.*
M. Franciſcus Pouſſe.	*M. Camillus Falconet, Med. Regis ordinarius.*	*M. Alexius Littre, Regiæ ſcient. Academiæ ſocius.*

PARISIIS,
Apud Viduam FRANCISCI MUGUET, Regis ac Facultatis Medicinæ Typographi 1713.